

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

*Antiphona.*

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. *Tempore Paschali.* Alleluja.

*Canticum trium puerorum.*

Benedicite, omnia opera Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, angeli Domini, Domino; benedicite, cœli, Domino.

Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlum sunt, Domino: benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino: benedicite, stellæ cœli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino: benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et æstus, Domino: benedicite, frigus et æstus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino: benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino: benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebræ, Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, montes et colles, Domino: benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino; benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete, et omnia quæ moventur in aquis, Domino: benedicite, omnes volucres cœli Domino.

Benedicite, omnes bestię et pecora, Domino: benedicite, filii hominum, Domino.

Benedicat Israël Dominum; laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Domino: benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino: benedicite, sancti et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misaël, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli: et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

PSALMUS 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

*Añã.* Trium puerorum, etc.

Kyrie, eleison, etc.

Pater noster, *secreto.*

v. Et ne nos inducas in tentationem.

r. Sed libera nos a malo.

v. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

r. Et sancti tui benedicant tibi.

v. Exultabunt sancti in gloria.

r. Lætabuntur in cubilibus suis.

v. Non nobis, Domine, non nobis.

r. Sed nomini tuo da gloriam.

v. Domine, exaudi orationem meam.

r. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

r. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammam ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis quæsumus, Domine, vitiorum nostrorum flammam extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum.

ORATIO S. THOME AQUINATIS

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Te deprecor, ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum evacuatio; concupiscentiæ et libidinis exterminatio; charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio: motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhæsiō, atque mei finis felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satiety plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum.

*Actus amoris post Missam.*

Amo te, Domine Jesu, jucunditas mea et requies mea; amo te, summum et unicum bonum meum, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis; et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te, et si satis id non opto, saltem desidero id multum deiderare. Amen.

de, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem non nisi amorem petis a me, da quod jubes, et jube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima: *Volo*. Nam si vis, potes me mundare et illuminare; potes me ad supremum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis ut appareat in me fructus passionis et mortis tuæ. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo*. O dulcissimum verbum. Tu in me et ego in te! O quantus amor, tu in me vilissimo peccatore, et ego in te, Deus meus, cujus majestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, et hoc solum quæro, in te vivere, in te quiescere, a te nunquam separari. Felix est qui te quærit, felicior qui te possidet, felicissimus qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices, quos turpiter transegi diligens vanitatem, et recedens a te! Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum, ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio; nihil sapiat mihi, nihil me alliciat nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animæ meæ: in te enim sunt omnia bona, et jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti quam ut unquam cessem amare te. O corpus sacratissimum, quinque vulneribus sauciatum, pone te ut signaculum super cor meum et imprime illi charitatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in æternum. O sanguis pretiosissime, qui omnem hominem abluis et purificas, lava animam meam, et pone signum in faciem meam, ut nullum præter te amatorem admittam! O dulcedo cordis mei et vita animæ meæ, sicut tu in Patre, et Pater in te est, ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihi que mundus crucifixus sit, et ego mundo! Amen.

*Oblatio post Missam.*

Servus tuus ego sum, Domine Deus meus, et pro tributo servitutis meæ aliquid tibi offerre vellem, quod majestate tua dignum et acceptabile foret; sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es; et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum præclarissimum, quod nullo modo recusare potes; habeo dilectissimum Filium tuum Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo, et ille in me sit. Quare verba prophetæ tui aptissime usurpabo, et dicam: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet, teque amabit, et glorificabit; nam intra me sacramentaliter existens factus es unum mecum, et ego unum cum illo. Ipsum igitur offero tibi velut thymiana suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem; in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum et totius mundi: ad impetrandum mihi et omnibus pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitæ temporalis et æternæ, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione, animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens majestatis tuæ. Præsta ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es, tu fortitudo mea et robur meum: doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum signo in beneplacitum tuum, abjecta de me omni cura et sollicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris a divina manu tua et amantissime suscipiam. In tempore et in æternitate id volo, quod tu ad æterno de me decrevistis, sive prosperum illud sit, sive adversum. Vivat semper et regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione, et levissimo quoque motu implere desidero. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Desunt enim mihi verba, quibus, explicem affectum meum sed projicio me in ardentissimam fornacem

cem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es, et mansionem apud me facere. Succende me, Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut jugiter tibi ardeam, in te vivam, et in te moriar.

*Petitiones post Missam.*

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore tuo immaculato et pretiosissimo sanguine refecisti, ignosce, obsecro, indignitati meæ, et quidquid deliqui in hujus missæ celebratione misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor præsumptionem meam, qui ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita præparatione, reverentia, humilitate et charitate. Respice in me oculis misericordiæ tuæ, et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu! quoties venisti ad me ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares? Ego autem contempsi te et abi in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter dissipata omni substantia, ad te nudus et fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me, et omnium iniquitatum mearum oblitus es. Bonum mihi quod amasti me amore æterno et infinito: nisi enim infinita esse bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur et absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrymis, quas fundisti pro me; unge me myrrha doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo; meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es: et fac me ambulare in fornitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum omnino abstractus a me ipso, et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc sacrificium, et pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, da pacem, salutem, et tuam benedictionem. Convertite miseros peccatores ad te, revoca hæreticos atque schismaticos, illu-

mina infideles et ignorantes. Adesto omnibus qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

*Oratio sancti Bonaventuræ.*

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima charitate; ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat et deficiat in atria tua cupiat dissolvi et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te in quem desiderant angeli prospicere, semper esuriat et comendat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ; te semper sitiatur fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quæreat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, salus mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea et possessio mea, thesaurus meus in quo fixa, et firma, et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

*Formula gratiarum actionis.*

O dulcedo cordis mei, et vita animæ meæ, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signater vero, quia

hodie me dignum fecisti, verum et immaculatum corpus et sanguinem tuum pretiosum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum quam illorum pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animæ meæ cibari et nutriri, Quapropter vere dicere audeo: Cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo, et quotiescumque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus; precorque beatissimam Virginem, angelos, sanctos, sanctas, et creaturas universas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia ista minime sufficiunt, te supplico ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas: et qui dignatus es istam indignam, tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Une me tibi intime, et totum transforma, ac transmuta in te. Salva me, Jesu Christe; et cunctam a me hotis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Oro, itidem, ut digneris gratias et indulgentias omnes, quas, hoc sacrificio vel communionem mediante, acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi quam aliis vivis et defunctis quibus applicare proposui; quia te ipsum et pro ipsis exoro pro quibus et tu vis, et Sanctissimus Pontifex intendit hac de causa me debere orare. Amen.

*Pater, et Ave.*

A. M. D. G.